

No. 114. 1233. 22. Febr. (26. März).

B. Heinrich trifft wegen des vom Probst Heidenricus vollzogenen Kaufes eines der Oberlehnsherrlichkeit des Bischofs zuständigen Dorfes, sowie wegen des von demselben bewirkten Verkaufes mehrerer dem Capitel zustehenden Zinsen eingehende Bestimmungen.

In nomine sanctae et individuae trinitatis. Heinricus dei miseratione Misnensis episcopus. Inter alia humanae conditionis infirmia memoriam hominum sic fragilem esse constat, ut nec multitudini rerum nec longitudini temporum sufficienter se valeat exhibere. Unde datum est fragilitati eius per gratiam conditoris, ut insufficientia ipsius scripturarum amminiculis adiuvetur, ne quod fideliter ac utiliter geritur, aut negligenter pereat aut inutiliter evanescat. Proinde noverint universi tam praesentis temporis quam futuri, quod dilectus in Christo Heidenricus maior Misnensis praepositus villam quandam dictam Kozzebude^{a)} pro ducentis nonaginta et quinque marcis a Bertoldo milite de Sconowe et suis heredibus comparavit, dictam autem villam Sifridus buregravius de Lizenik et frater eius Albero a nobis, dictus vero Bertoldus ab ipsis iure tenuit feudali. Praepositus itaque supradictus praeter pecuniam praenotatam triginta marcas argenti dedit de Lizenic fratribus iam praedictis, iidem quoque fratres nec non et Bertoldus de Sconowe villam Kozzebude superius nominatam cum omni iure, quod habuerant in eadem, in manus nostras voluntarie resignarunt. Nos vero affectum benivolum, quem praepositus saepedictus ad nos gerit et ad Misnensem ecclesiam attendentes, eidem praeposito tam favorabiliter quam liberaliter dedimus ipsam villam iure proprietatis quoad vixerit, etiam si a praepositura vel praebenda Misnensi recederet possidendam cum omnibus suis attinentiis, videlicet agris, pratis, pascuis, vineis, silvis, venationibus, aquis, molendinis, piscationibus, cultis et incultis et aliis utilitatibus, quae eidem bonis nunc insunt vel inesse poterunt in futurum. Praeterea propter obsequia beneplacita, quae nobis et ecclesiae exhibet fideliter et devote, eidem dedimus ius in villa saepedicta tabernam quae currthema vulgariter dicitur instaurandi. Sane dicto praeposito liberum erit de eisdem bonis in parte vel in toto suum condere testamentum ad fratrum praebendas, quod voluerit assignando aut facere vicariam, vel sui successoris usibus deputare. Si vero alicui extra ecclesiam dare vel vendere decreverit ipsa bona, ad nos nostrosque successores bonorum revertetur proprietas eorumdem; nos etiam ei vel eis, quos nobis aut nostris successoribus praesentaverit dicta bona conferre iure tenebimur feudali. Sciendum tamen, quod quia praepositus de annuis redditibus fratrum nostrorum Misnensium in villis Bukuwiz, Blotowe, Tribensdorf^{b)} et Milnewitz^{c)} domino Ottoni de Ilburc octo marcarum et villam Boren^{d)} in redditibus quadraginta octo solidos habentem etiam eidem ad praeposituram vendidit pertinentes, octo marcarum in villa Kozebude suis confratribus suoque successoris quadraginta octo solidorum redditus assignabit; neque enim horum summam provenituum praepositus aliorum poterit usibus deputare, nisi forte de pecunia quam a domino Ottone de Ilburch recepit, alia bona emerit de confratrum suorum consilio et consensu ipsorum usibus in posterum conservanda. Et ut haec nostra donatio ipsiusque ordinatio

a) Cospa, sonst Cospoda bei Ellenburg. b) Buchwitz (vgl. No. 54), Plotha (Blottwitz), Dröbsdorf, jetzt Feldmarken bei Pehritzsch im Kr. Delitzsch, nahe der k. sächs. Grenze. c) Mülbitz zu Thallwitz im K. Sachsen gehörig. d) Pehritzsch?